



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. v. De potentia ipsa intellectiua, præsertim de memoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Ad tertiam respondeo, posse vnum actum habere plura obiecta formalia partialia; non possi habere plura totalia: quando autem sunt eiusdem speciei, possunt coalescere in vnum obiectum formale, vt in exemplis propofitis: quando autem diuerſe ſunt ſpeciei, non poſſunt facere vnum obiectum totale, quia non ſubordinantur, neque poſſunt eſſe partes eiusdem totius.

*De potentia ipsa intellectuina, præsertim
de memoria.*

Superesset de intellectu dicere, vtrum ille vnus sit, & vtrum sit nobilior voluntate: sed cum indistincta ab anima sint potentia, non potest intellectus esse vnicus; imò etiamsi essent distincta, non deberet poni realis vlla distinctio inter intellectum speculatiuum & pradicum; inter rationem superiorem, & inferiorem; inter rationem & memoriam; quia illa omnia versantur circa intelligibile, quod est vnicum obiectum adequatum intellectus, qui propterea non est realiter nisi vnus. Quomodo autem intellectus sit prastantior voluntate, dictum est prima secunda, cum egi de beatitudine; intellectus enim trahit ad se obiecta, voluntas trahitur ab obiectis: trahere autem nobilius est quam trahi. Adde quod operatio voluntatis pendet semper ab operatione prauia intellectus.

Sola igitur explicanda superest memoria, de qua multa dabunt scitu dignissima Aristoteles *lib. 1. parvorum naturalium*, Augustinus *lib. 10. confessionum*, c. 10. Cassiodorus *lib. de anima*, cap. 12. Damascenus *lib. 2. c. 20*. Nyssenus *lib. 6. de hominis opificio*. Mihi satis erit dicere, quid & quomplex sit memoria: secundò in quibus viventibus illa reperiat: tertio in quibus illa sit præstantior: quartò quænam adiuvent memoriam, quænam illi noceant: quintò demùm, quid sit reminiscencia.

Quid fit
memoria.

Dico primò, memoriam sumi vel pro actu ipso memorandi, & definitur ab Aristotele, *Rei praterita ut praterita est, recognitio*; seu, *Cognitio rei priùs cognita, ut priùs cognita*; vel quò ipsa facultate memorativa, & est potentia, quæ non solum conferuat species, sed iterum etiam apprehendit obiecta aliàs cognita, vnde vocatur ab Augulino & Damasceno prompatrium reginæ animæ.

Duplex autem est in homine memoria, vna sensitua, altera intellectiua: prima conseruat species rerum sensu interno cognitarum, & est improprie memoria, vt dixi, quia cognoscit quidem res cognitae prius, sed non cognoscit res vt cognitae, quia non cognoscit suos actus. Altera conseruat species immateriales rerum intellectarum. Dari enim hanc memoriam, pater ex eo quod recordamur multorum, quae sensibilia non sunt, vt quod demonstratum à nobis fuerit aliquid abstractum, v. g. aliquid vniuersale, vel aliquid spirituale.

In quibus
viventibus
illa sit.

Dico, secundò plurimis etiam brutis animantibus inesse memoriam; fœtus enim agnoscunt parentes & dominos suos; pristinos nidos & latibula sua repetunt; iniuriarum recordantur. Imò extendendum etiam id esse ad pisces, conuincunt

Aea, quæ narrat Plinius *lib. 10. c. 70.* pisces in quibusdam viuatibus plaufu congregari folitos ex confuetudine; imò & ad nomen vocatos adueniffe in piscinis Cæfaris, non confertim tantum, fed quosdam priuatim. Mira etiam idem narrat de delphino, qui quocumque diei tempore inelamatus à puero, quamvis occultus, atque abditus, ex imo aduolabat, pafifque præbebat afcenfuro dorium, receptumque per mare in ludum reuehebat.

Quædam tamen animalia memoriam non habent, vel certe admodum imperfectam; ea videlicet quæ solo tactu & gustu prædita sunt, vt conchyliya, ostrea, &c. Mulsas non arbitror omnino memoriâ carere, vt putat Albertus, eo quod abactæ redeant; sed hoc offendit eas memores esse loci in quo prius pascabantur, stoliditas autem efficit vt non emendetur. Organum memorie sensitivum dicitur esse pars posterior cerebri, quia in ea conservantur species rerum cognitarum, que non in solis harent spiritibus facillimè dissolventibus, sed in ipsa etiam cerebri substantia.

Dico tertio, inter animalia omnia hominem maximè memoriâ valere, propter spiritus optimos, & cerebrum temperatum; imò maximè iouat ratiocinatione, vt patebit ex dicendis de reminiscentia. Pollent verò memoriâ illi maximè, qui habent in cerebro mollitudinem, & modicam duritiem; mollities enim facit ad receptionem facilem specierum, durities confert ad earum retentionem. Ided senes deficiente cerebri humiditate difficilè addiscunt, pueri facilè addiscunt, citò obliuiscuntur propter defectum duritiæ; iuuenes verò meliori sunt memoria, quia senes vincunt mollitudine, pueros duritiæ.

Melancolici, quod organa sicciora habeant, diutius retinent, imò diutius cogitant, & lentius apprehendunt; idèò firmius insigunt. Eorum quæ amamus vix obliuiscimur, quia cogitamus illa sapius & attentius. Qui noctes ducunt insomnes, minus memores euadunt, quia humores illi, quos concoquere somnus debuit, debitam impediunt cerebri siccitatem.

Nationes quædam, vt Thraces, dicuntur infelicem habere memoriam ob defectum dicti temporamenti. Eorum quæ pueri didicimus, melius recordamur, quia pueri fortius apprehendunt, cum circa pauciora distrahantur. Eandem ob causam manè melius didicimus memoriz, quia circa pauciora distrahimur. Eadem ratio efficit, vt equi ac canes melius iterum recordentur, per quæ sunt deducta, quia illa solum cogitant cum eò distrahuntur.

Præstantissima memoriae plura exempla dabunt Seneca in prologo declamationum, Plinius *lib. 7. c. 24.* Rhodiginus *lib. 20. cap. 10.* Solinus *6. 7.* Valerius *lib. 8. m. 7.* Alexander ab Alexandro *lib. 6. c. 18.*

Charmides in Græcia, quæ quis volumina ex-
gerat in amplissima bibliotheca, legentis modo
representabat. Theodoctus quamlibet multos ve-
sus auditos mox reddebat. Augst. *lib. 4. de originibus
animæ. c. 6. 7.* refert quendam potuisse totum recitare
Virgilium retrorsum. Blesensis *epist. 91.* prodit fe-
eodem tempore tribus simul scribis distasse varias
epistolas, cum ipse quartam scriberet. Idem de
Iulio Cæsare traditur, & testatur Eusebius Origene-
nem septem simul scribis diuersa dictare solitum.
Mirabile omnino est, quod de seipso Seneca pro-
loco citato : *Duo, inquit, millia nominum, quæ erant
ordine recitari, referebam. & ab his qui ad audiendum
præceptorem nostrum conueniant, singulos versus*

singulis datos, cum plures essent ducentis, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam.

Plerumque tamen accidit, ut qui tantâ sunt præditi memoriâ, ingenio minùs valeant, quia ingenij celeritas maiorem deposcit humiditatem, quam refugit memoriæ tenacitas.

Memoriæ adjuvamenta. Dico quattor. Præter moderatas illas qualitates mollitiæ, & duritiæ nihil esse, quod memoriâ æquè iuvet ac exercitatio quotidiana memoriæ; nihil enim æquè vel curâ augetur, vel negligentia intercidit. Secundò plurimùm iuvat memoriâ, si valde attendas ad ea quæ desideras retinere: item si non multis simul obruas memoriâ; eorum enim quæ parum attendimus, vel quæ apprehendimus, aliis intenti rebus facillimè obliuiscimur. Lædunt memoriâ quæcumque vel siccitatem nimiam inducunt, vel humiditatem partium cerebri, ut nimium aliquando studium, consumens spiritus & cerebrum exsiccat; nimium item labor, nimia fatigatio, morbi plures; Iansenius Doctor eximius post edita luculenta commentaria in Scripturam, litteras oblitus fuisse dicitur. Quidam ictus lapide literarum oblitus est, inquit Plinius. E tecto lapsus, matris & affinium ac propinquorum; alius ægrotus servorum etiam, sui verò nominis Messala Corvinus obliuionem passus est.

Reminiscencia. Dico quintò, reminiscencia sic definiiri, *Est progressio, quâ ex aliqua re memoria occurrente venimus in cognitionem rei quæ nec occurrebat memoriæ, nec à memoriâ penitus exciderat.* Aliquis v.g. reposuit heri librum aliquo in loco, cuius nunc non meminit. Memoria repetit loca omnia, in quibus heri fuit, & eos cum quibus loquutus est, ut tandem recorderetur ubi librum reposuerit.

Eius tres actus. Tres igitur actus includit reminiscencia, memoriâ rei alicuius, deinde discursum ex ea re ad id quod queritur, denique inuentionem eius rei quæ non penitus exciderat, sed non occurrebat tamen. Distinguitur illa, ut vides, à memoriâ; quia reminiscencia includit obliuionem aliquam & discursum, ideoque brutis non conuenit. Eleganter Maximus Tyrius *serm. 28.* rationem obliuionis comparat, & fieri ait reminiscencia, quoties animus vnù venatur ex alio, & præsentibus admonitus rebus, manu quodammodo ad obliuionem considerationem perducitur. Rectè autem Themistius reminiscencia appellat reducem memoriâ & rediuiuâ; quod quomodo fiat, pulchrè prosequitur August. *lib. 1. de Trinit. c. 3.* & in libro citato confessionum.

Quattor miracula memoriæ. Quattor igitur sunt in memoriâ planè mirabilia. Primum est, quod tam multa, & tam diuersa seruet in thesauris suis, neque tamen illa misceantur & confundantur. Secundum est ordo & nexus inter illa; ita enim collocata & ordinata sunt, ut & vnumquodque separatim, & cuncta confestim, & singula ordinatim exposcere & digerere valeamus, ut cum quis ex aceruo illo tot specierum per vnâ aut plures horas ita orationem continua serie depromit, ut nulla excidat, vel destinatum ordinem syllaba immutet; sed vna sequatur alteram, donec tota oratio euoluatur. Tertium est ipsa reuocatio eorum quæ penè fugerant; quædam enim latent altè condita cum exposcimus, nec foras prodeunt, sed eorum loco alia quædam prosiliunt quasi ro-gantia, num ipsa querantur: alia confestim in apertum erumpunt; alia paulò post, tanquam eruantur de abstrusioribus receptaculis. Quartum est connexio, ratione cuius ea quæ videbantur euauisse, alterius quasi admonitione foras prodeunt. Vide Augustinum & Theodoretum citatis locis.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

QVÆSTIO III.

De appetitu rationali, & potentia motrice inorganica.

Amplissimus hîc pateret ad excurrendum campus, si moralem suam vellem spoliare præcipuis ornamentis; tota enim illa est in explicandis actibus voluntatis, libertate, habitibus virtutum & vitiorum. Mihi satis erit tria ponere. Primò an sit voluntas necessariò in homine, siue vtrum omne intellectuum sit necessariò volituum: secundò, quale sit eius obiectum: tertio, qualis actus.

§. I.

Vtrum omne intellectuum sit necessariò volituum.

Repugnant multi graues Theologi, existimantes posse dari aliquod cognoscens carens omni appetitu.

Ratio enim dubitadi esse primò potest, quia etsi omne volituum supponat necessariò cognoscitiuum, nullo tamen argumento demonstrari potest efficaciter, quod effici à Deo non possit vllum cognoscitiuum, quod careat appetitu. Quomodo enim potest probari, quod appetitus elicitus sequi necessariò debeat cognitionem.

Secundò. Si Deus decerneret non concutere cum humano appetitu ad actum vllum appetitiuum, & reuelaret homini hoc decretum suum, huiusmodi cognitio non dirigeretur ad appetitum; implicaret enim ut illa moueret appetitum: ergo non est necesse ut omnis cognitio mouere possit appetitum: ergo non est necesse ut omne cognoscitiuum sit volituum.

Tertio, non demonstratur esse impossibile appetitum, quem nulla præcedat cognitio: ergo non demonstratur esse impossibile omnem cognitionem, quam nullus sequi possit appetitus elicitus. Probatur antecedens, quia si Deus infunderet voluntati actum amoris, non esset requisita vlla cognitio præluens amoris: ergo potest dari appetitus sine cognitione.

Dico primò, omne cognoscens essentialiter esse appetitiuum, atque adeò implicare intellectuum quod non sit volituum. Ita docet S. Th. *1. p. q. 19. art. 1.* quem sequuntur communiter Theologi & Philosophi.

Ratio autem illius sic proponitur ab Herice *diff. 2. c. 2.* Omnis forma necessariò annexum habet appetitum, quo inclinatur in illud quod rei constitutæ conueniens est: sed cognitio est aliqua forma: ergo illi debet adiunctus esse appetitus, per quem inclinatur ad perfectionem debitam subiecto, cuius est constitutiva. Maior probatur, quia omnis forma ordinatur ad ea quæ conuenientia sunt subiecto, in quo est: sed non potest ad ea ordinari, si ad ea non inclinatur: ergo quælibet forma inclinatur ad ea quæ rei constitutæ sunt conuenientia, & refugit ab iis quæ sunt disconuenientia.

Dico secundò, implicare appetitum, qui non sit cognoscitiuus; imò & implicare voluntatem, quæ sine præuia cognitione vllum actum eliciat.

Primò enim sic demonstrat experientia; quæ enim proportionè crescit cognitio bonitatis, eadem etiam crescit amor; & quæ proportionè de-

XX

crescit